



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Eginhartvs De Vita Caroli Magni, Animadversionibvs
Illvstratvs**

**Bessel, Friedrich
Reinhard, Johann Friedrich**

Helmestadii, 1667

Capvt II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10996

CAPVT II.

1. **Q**uo officio * tūm cūm Hildericus deponebatur, * MS. tāu-
Pipinus pater CAROLI regis jam velut hæredi- tūm.
2. tario * jure fungebatur. † Nam Pater ejus CA- * In Scri-
ROLUS, qui tyrannos per totam Franciam do- pto Cod.
minatum sibi vendicantes oppressit, & Saracenos Galliam ^{hac vox de}
occupare tentantes, duobus magnis præliis, uno in Aqui- est.
tania apud Pictavium civitatem, altero juxta Narbonam
apud Byrram fluvium ita devicit, ut in Hispaniam eos re-
dire compelleret, eundem magistratum à Patre Pipino si-
3. bi dimissum egregiè administravit. † Qui honor non aliis
à populo dari consueverat, quam iis, qui & claritate gene-
4. ris, & opum amplitudine cæteris eminebant. † Hunc
cūm Pipinus pater CAROLI Regis, ab avo & patre sibi &
Fratri Carolomanno relictum, summā cum eo concordiâ
divisum, aliquot annis velut sub rege memorato tenuisset,
frater ejus Carolomannus, incertum quibus de causis, ta-
men videtur, quod amore conversationis contemplativæ
succensus, operosâ temporalis regni administratione reli-
ctâ, Romam se contulit, in otium: ibique habitu permuta-
to monachus factus, in monte Soracte apud ecclesiam Be-
ati Sylvestri constructo monasterio, cum fratribus secū ad
hoc venientibus, per aliquot annos optatâ quiete perfru-
5. itur. † Sed cūm ex Franciâ multi nobilium ad vota sol-
venda Romam solenniter commearent, & eum velut do-
minum quondam suum præterire nollent, otium, quo
maximè delectabatur, crebrâ salutatione interrumpentes,
6. locum mutare compellunt. † Nam cum hujuscemodi fre-
quentiam suo proposito officere vidisset, relicto monte, in
Samnium provinciam ad monasterium S. Benedicti, situm
* in arce Casina secessit, & ibi quod reliquum erat tempo- * C. Flor.
ralis vitæ, religiosè conversando complevit. in castro
Casinum.

ANIM-